an

DISSERTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA,
SISTENS

DE JVRISDICTIONE CIVITATVM MVNICIPALIVM SAXONICARVM QVASDAM OBSERVATIONES,

QVAM,
PERMITTENTE CELEBERRIMO JCTORVM ERFFVRTHENSIVM ORDINE
SVB PRÆSIDIO
MAGNIFICI VNIVERSITATIS RECTORIS AC FACVLTATIS JVRIDICÆ DECANI,

DN. TOBIÆ JAC. REINHARTHI,

JCTI, SACRI PALAT. CÆS. COMITIS, DICTI JCTORVM ORDINIS ASSESSORIS ET PROF. COD. PVBL. ORD. CIVITATIS SYNDICI ET CONSVLIS,

PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES
SOLENNITER ADIPISCENDI
DEFENDET
AVTOR ET RESPONDENS

JOAN. HENRICVS KOLBENACH,

Francohusa-Thuringus.

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI
DIE VII. JVLII MDCCXXXIV.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad. Typogr.



PRÆFATIO.



On paucos, Benevole Lector, de civitatibus municipalibus earumque juribus ſcripſiſſe Autores haud infimæ ſortis, notum eſt: quid? quod notiſſimum. Adeo ut qui Speciminis Inauguralis loco de eâdem materiâ nonnulla in medium proferendi, mecum conſtituerim, actum me agere, non inique quis dixerit; Verum enim verò cum non eo inſtituto de univerſis Civitatum Municipalium Juribus tractatum conſcribendi, ſed ſaltem de quorundam Saxonicorum Magiſtratuum, præſertim earum civitatum, quæ ſunt inferioris quodammodo Conditionis, Jurisdictione, nonnullas ob-

ſervationes per modum Diſſertationis diſcutiendas proponendi animus ſit, ſpem concipio, fore, ut vel leviuſculum hoc ſpecimen Benevolus Lector æqui bonique conſulat, & ſi quæ minus recte à me dicta eſſe animadvertet, pro humanitate ſuâ vel excuſet vel corrigat.

§. I.

DE Civitatum itaque municipalium vel potius earundem Magiſtratuum in foris ſaxonicis Jurisdictione nonnullla in medium prolaturum juvabit, præmonuiſſe: Civitates municipales dici omnes, quæ non immediate Imperio, ſed Principis vel alius ſtatus poteſtati territoriali plene ſunt ſubjectæ. STRUV. *Jur. Publ. Prud. Cap. XXI. §. 9.* conſequenter Magiſtratum municipalem in foris Saxonicis ejusmodi eſſe Collegium à Principe hoc fine conſtitutum, ut civium actiones civiles dirigat, atque Jurisdictionem in eosdem quoad cauſas civiles eô, quo conceſſa fuit modo, exerceat.

§. II.

Notanter vero Magiſtratuum municipalium Jurisdictionem quoad objectum ad cauſas civium Civiles reſtrictam eſſe aſſerui; Nam pro certo tenendum eſſe arbitror, in Regulâ cauſarum criminalium cognitionem Magiſtratui municipali non Competere, adeoque à Principe, tanquam omnis Jurisdictionis fonte, non al-

tam

tam superiorsam, quin potius illam solum, quam stylo Barbaro, bassam S. in feriorem dicunt, concessam videri, OBRECHT *de Jurisd. th. 299. n. 304.* SCIPIO GENTILIS *de Jurisd. L. II. Cap. 5. & 6.*

§. III.

Uti vero collegium quod nominamus Magistratum municipalem consistit ex Consulibus & Duumviris, quotannis mutationem subeuntibus, **welche jährlich mit einander abwechseln**, nobisque dicuntur **Burgermeister, Rathsmeister**, & Jurisdictioni concessæ præsunt, Dein ex Decurionibus seu curialibus, quos **Raths Cämmerer oder Raths-Männer** appellitant, redituum civitatis, Impensarum in refectionem ædificiorum publicorum rationem habentes; Ita quibusdam in locis minus apte defensores civitatis, sive Trebunos plebis, **die Vierleuthe, Viertheils-Meistere**, Tribunis plebis Romanis similes, Magistratui municipali adnumerare satagunt, hosce **eines Ehren-Vesten Raths Vierleuthe** appellantes. Utrum enim Magistratui municipali fundamentum in Jure Romano ponamus, an actiones, officium & dignitatem Tribunorum nostrorum spectemus, ex utraque parte sententia nostra salva erit: Nam præter Decuriones Sive Senatores, & Duumviros, sive consules Senatum Roma & in municipiis nemo repræsentabat, uti videre licet *L. 2. & 33. Cod. de Decurionib.* Conf. LAUTERB. *in Compend. Jur. ad h. Tit.* Ex altera parte Finis & officium tribunorum, teste observantia quotidiana, consistit in eo, ut cives contra molimina Magistratas injusta defendant, rationibus ab hoc reddendis intersint, easque de-

defectent, conatibus ejusdem in detrimentum bonorum civitatis vergentibus contradicant, & quæ sunt reliqua, adeoque illi adversentur: Nulla vero gaudeant dignitate BERGER. *oeconom. Jur. Lib. 1. Tit. 2. §. 10. not. 4. de Stat. advent.* Et exinde hanc formo conclusionem: cujus officium ejusque finis collegio cuidam est contrarius ab eoque recedit, nec ejusdem gaudet dignitate, hujus collegii membrum non est.

§. IV.

Quibus pro instituti ratione præmissis, dispiciendum erit, quousque Jurisdictio Magistratus municipalis se extendat. Decisionem hujus Quæstionis ex Jure Civili Romano repetere si fas esset, Jurisdictio Magistratus municipalis muris urbis se finiret: Nam cum urbis appellatio muris finiatur ex Leg. 2. ff. de v. S. Jurisdictio super ea concessa iisdem finiri, necesse est. Quia vero Jure hodierno Magistratus municipales ejusque Jurisdictio a Romanis longe recesserint, paulo altiori indagine opus esse videtur. Nos, relicto quidem Jure Romano, argumento a majori ad minus ducto, eundem ponimus finem, Jurisdictionem Magistratus municipalis finiri muris urbis, ultraque eos non extendi, nisi speciali Principis privilegio plus ultra concessa probetur, hisce innixi rationibus, quod 1) civitates ipsæ sine discrimine habentur in dubio Amtsassicæ, sive Præfecturis ratione fori subjectæ, BERGER. *oeconom. Juris Lib. IV. Tit. IV. §. 3. not. 7.* ibique *cit.* GUILIELMUS LEYSER, *in dissertat. de* LANDSASSIIS *thes. 45.* Quæ cum firmo talo subsistant, nullus dubito, quin affirmem, Jurisdictionem Magistra-

tui

tui municipali concessam muros urbis non egredi, multoque majorem pro præfecturis (die Aemter) militare præsumtionem, omnia extra muros urbis posita his cedi, ita ut in agris ad urbem pertinentibus Magistratui municipali neque Jurisdictio competat, neque confirmationes contractuum super iis initorum sibi arrogare queant, porro & 2) pro Principe, qui concessit Magistratui municipali Jurisdictionem, nam aliam non habent, militat præsumtio, quod ejus Jurisdictio in omnes partes territorii se diffundat, cum è contrario Jurisdictio, quæ beneficio Principis exercetur, in facto consistat, adeoque ita, nisi probata, non intelligatur, & quamvis 3) BALTHASARIS CONRADI ZAHNII *sententiæ in Ichnographia municipali, Cap. VIII. §. 1.* Jurisdictionem municipalem ex observantia & consuetudine æstimandam esse, affirmantis, subscribere velim, illum tamen *citat. loco* quod dicta Jurisdictio intra mœnia & pomœria Civitatis regulariter inclusa censeatur, recte statuisse animadverto. Id quod etiam in plurimis Civitatibus, municipalibus ita observari, ut si forte Magistratus municipalis Jurisdictionem extra mœnia extendere conetur, a Principis Præfectis ejusmodi conatibus resistatur, quotidiana Praxis satis ostendit.

§. V.

Supra §. 1. & 2. Magistratu municipali Jurisdictionem bassam sive inferiorem regulariter competere asserui, exinde, mutato nunc in Saxonia Processu injuriarum ordinario in inquisitorium summarium per MANDATUM REGIO ELECTORALE *de Anno 1712. §. 22.* Daß nach

Arth

Arth des in denen Sächsis. Landen hergebrachten Rügen-Processes verfahren werden solle, oritur quæstio, an ejusmodi causæ injuriarum coram eo, cui competit Jurisdictio criminalis superior, an coram Magistratu municipali sint pertractandæ? Pro Jurisdictione alta sive superiori militare videtur 1) quod ad hanc pertineat Processus Inquisitorius in specie sic dictus CARPZOV. *qu. 107. num. 30. cui 2)* Processus summarius inquisitorius, der Rügen-Process, ubi tantummodo summaria obtinet Responsio, proxime accedit, licet ex sententia BERGERI in *œconom. Jur. Lib. IV. tit. XXXIII. §. 3. not. 1.* illi contradistinguatur: Nam in Processu summario Inquisitorio exulat tantum responsio ad Articulos, in reliquis cum Inquisitorio, ubi Judex ex officio procedit, plane convenit, deinde 3) in EDICTO REGIO DE DVELLIS *de an. 1712. §. 19. & 39.* pœna injuriantibus usque ad virgas, gladium & furcam præscripta, cujus generis pœnas ad altam Jurisdictionem pertinere, nemo facile inficias ibit. Contra ad fundandam in injuriis Jurisdictionem bassam, quæ competit Magistratui municipali, facere videtur, quod 1) in allegato edicto *de Duellis* modus procedendi quidem in injuriis sit mutatus, Jurisdictio autem huic vel illi competens neutiquam ablata, idque ob eam rationem, quod 2) cognitio Judici, bassam Jurisdictionem habenti, in causis injuriarum, quæ procul dubio ad bassam pertinuere, ademta dici posse nequeat, cum in sæpius allegato EDICTO REGIO *de Duellis* expresse ademta non legatur, quin potius partes ratione impetrandæ satisfactionis judicem alias competentem, ihre ordentliche Richter *§. 20.* adire jubeantur.

§. VI.

§. VI.

Inter injurias leves & atroces, deinde delinquentes ipsos distinguendum & ex hac distinctione & modo procedendi cognitionem competentem dijudicandam esse, existimo. Si injuriæ sunt atroces, corporis pœnam afflictivam adeoque inquisitionem specialem desiderantes, cognitionem huic, cui competit Jurisdictio alta seu superior, ex supra deductis adjudicandam statuo; nisi forte delinquentes ex *§. 58. dict. Mandat. Reg.* foro privilegiato gaudeant: Sin vero injuriæ sint leves, adeoque inquisitione speciali indignæ, harum cognitio judici, Jurisdictionem inferiorem habenti, competet, nisi delinquentes ex dicto *§. 58.* foro privilegiato gaudeant. Hisce suffulti rationibus, quod 1) modus quidem procedendi in injuriis per MANDAT. REG. DE DVELLIS sit mutatus, cognitio vero alias competens nemini judicum sit ablata, quin potius §. 20. & 58. ut supra monitum, cuilibet reservata, 2) olim & quidem ante promulgationem MANDATI DE DVELLIS injuriæ reales atrociores sanguinolentæ pertinebant ad Jurisdictionem superiorem BERG. *œconom. Jur. Lib. III. Tit. IX. §. 13. not. 1.* leviores ad bassam, ideoque harum cognitio ad eundem modum, prout cuilibet competit Jurisdictio, nisi in casibus in mandato REGIO DE DVELLIS expresse exceptis, salua persistet.

§. VII.

Ordo instituti ducit, ut dispiciamus, an Magistratui municipali competat Jurisdictio, sive potestas statuendi & cognoscendi in rebus Politicis, in Policey-Sachen?

Si ſententiam BERGERI in *œcon. Jur. Lib. 1. Tit. 2. §. 10. not. 1.* Magiſtratui civitatum Provincialium rerum Politicarum curam adjudicantis, atque ad eam ordinationum & decretorum confectionem, jus ſtatuta opificiorum curandi, ponderum & menſurarum curationem, annonæ curam & quæ ſunt reliqua, adnumerantis, ſequi velimus, licet nullas ad eam fundandam adjecerit rationem, ea utique Magiſtratui municipali attribuenda foret. Quod admitto, ſi à Principe talis poteſtas eidem ſit indulta, vel per continuam vel immemorialem poſſeſſionem acquiſita. Alias vero prædicta BERGERI ſententia adhuc mihi quodammodo dubia videtur. Cum enim ordinationes faciendi factasque interpretandi poteſtas tantummodo ejus ſit, qui gaudet ſuperioritate territoriali, adeoque Principis, ſive alius ſtatus imperii. VITRIAR. *Inſt. Jur. Publ. Lib. III. Tit. XVII. §. 51.* HORN. *Cap. LXI. §. 1. & 7. de Jur. ſuper. territ.* conf. & VITRIAR. *Lib. III. Tit. XVII. §. 2.* LAVTERB. *in Comp. Jur. Lib. 1. Tit. IV. de conſt. Princ.* Contra Magiſtratus cum civitatum provincialium tum municipalium non niſi Jurisdictionem à principe conceſſam habeant, ſtatuta vero opificiorum, & ordinationes menſurarum & ponderum &c. quotidianam pro diverſitate temporum interpretationem ſive extenſivam ſive reſtrictivam deſiderent; non ſine ratione concludi poſſe videtur, harum dationem & interpretationem Magiſtratui municipali in dubio attribuendam non eſſe.

§. VIII.

Utut vero KNIPSCHILD *Lib. II. Cap. 10. n. 83.* nec non HEIGIVS *P. I. qu. 13. n. 30.* aliique contrarium, & quod civitates municipales ſtatuta ſine Principis conſenſu & autoritate condere poſſint, ſtatuant, quia conceſſa Jurisdictione, ea quoque conceſſa videantur, ſine quibus ea exerceri nequeat *l. 2. ff. de Jurisdict.* majori tamen cum fundamento ZIEGLER *de Jure Majeſt. L. I. c. 5. §. 16. ſeq.* cum CARPZOV. *in Proceſſu Tit. 11. Art. 2. n. 108.* ſta-

ſtatuit: quod Magiſtratus municipalis Jurisdictionis, quam non niſi à Principe conceſſam habent, exercitium, legibus conformare, iisque morem gerere debeant. Deinde conſtat, quod Jurisdictione in genere conceſſa, ne quidem Jurisdictio ſuperior regulariter conceſſa intelligatur STRUV. *Synt. Jur. Civil. Lib. 2. Tit. 1. §. 80.* multo minus itaque poteſtatem legislatoriam ſeu ſtatuta condendi, decreta & ordinationes in rebus politicis, quæ ſuperioritate Territoriali cohæret, faciendi, ſimul conceſſam dici poſſe exiſtimo.

§. IX.

Facilius equidem largior, cives inter ſe conventiones quasdam & pacta circa res Politicas in civitate e. g. quod ad Jus braxandi attinet, ut hic vel ille ordo in modo braxandi, venditione cereviſiæ, collectione ſumtuum in refectionem domus braxatoriæ neceſſariorum, &c. adjecta contraventionis pœna, inire poſſe. Uti vero ejusmodi conventiones & pacta, ſi utilitati publicæ non adverſantur, tantummodo ſuos tenent autores & paciſcentes vi conventionis, nec alios, qui hiſce pactis non conſenſere, obligant; Ita quas diximus conventiones legis nomine dignari, ſenatumque municipalem talismodi ordinationes & ſtatuta invitis civibus proprio motu obtrudere poſſe, nemo facile affirmabit, præcipue ſi in tertii cujusdam præjudicium vergant. Nam poteſtatem legislatoriam non habenti, & tamen Leges vel ſtatuta conficienti impune non paretur arg. *Leg. 20. ff. de Jurisdict.* adeo ut is, qui forte quempiam invitum talismodi ſtatutis absque autoritate Principis conditis ſubjicere audeat, in pœnam illorum, qui jura Principis involant, incidat, vid. *L. 3. in fin. ff. ad Leg. Jul. Majeſt.* Conf. SCHNEIDEWIN. *ad Inſt. Lib. 1. Tit. 2. §. 6. de Jur. Nat. Gent. & Civil.*

§. X.

Circa jus detractus, Abzug-Geld, Nach-Steuer, ſi qua civitate municipali ſtatuto aut conſuetudine receptum ſit, cum alias non præſumatur. REC. IMPER. *de an.* 1555.

1555. §. 24. oritur quæstio, utrum senatui municipali, an Præfecturæ (dem Amte) competat? Si hac ex parte BERLICHII sententiam 3. concl. 52. n. 19. detractum Jurisdictionis altæ & superioris fructum autumantis sequi fas est, res dubio caret, quod non ad magistratum municipalem, sed ad Præfecturam pertineat, siquidem supra §. 2. ostensum, magistratui municipali regulariter competere tantummodo Jurisdictionem bassam: Sin vero detractus neque ad Regalia pertinet, neque ex Jurisdictione proficiscitur, uti ex *cit. Rec. Imp.* quidam colligere satagunt, sed merè consuetudinarius est, uti existimat BERGER. *Oecon. Jur. Lib. 1. Tit. 2. §. 18.* dubia causa quodammodo redditur.

§. XI.

Nos neutrius sententiæ subscribentes, putamus: Quod si Magistratus municipalis habeat jus detractus vel à Principe specialiter concessum, vel ex immemoriali præscriptione acquisitum, hocque, ut par erat, probato, detractus huic adjudicandus. Deficiente vero horum probatione, pro Præfecturis pronunciandum credimus, quod emolumenta, quæ Jurisdictionis fructibus non adnumeranda, magis ad eum, qui summam tenet in republica potestatem, gaudetque superioritate territoriali, vel hujus nomine hanc vel illam partem mandatam exercet, pertinere præsumendum, vid. KNICHEN *de subl. & regal. Territ. jur. Cap. 4.* quam ad eum, qui a Principe tantummodo concessam exercet Jurisdictionem, eamque inferiorem, cujus fructus non est jus detractus. 2) Jus fisci hodie refertur ad Territorialem potestatem, ut patet ex ultimis verbis *Art. 27.* LEOP. & *Art. 26.* JOSEPH. CAPIT. & *Artic. 21. pr.* CAPIT. CAROL. VI. ad jus fisci autem refertur jus detractionis CASPAR HORN. *in Jur. Publ. Cap. LXI. §. 16. de Jurib. Superiorit. Territ.* 3) Jus detractus introductum est in redhostimentum præstitæ defensionis, ac in compensationem imminuti æstimii ac census annui KLOCK. *de ærar. Lib. 2. Cap. 26. num. 5.* defen-

sio

ſio autem civium & onera inde præſtanda procul dubio pertinent ad Principem, qui gaudet ſuperioritate territoriali, uti colligere licet ex *Art. XV.* CAPIT. CAROL. VI. *in pr.*

§. XII.

Sed quid ſi Magiſtratus municipalis forſan in poſſeſſione vel quaſi Juris detractus conſtitutus, utrum etiam in poſſeſſorio contra Principem vel ejus Præfecturam ſit manutendus? Ad negativam ut accedam, ex eo moveor, quod Poſſeſſio vel quaſi Regalium contra Principem nihil operetur, quin potius etiam in poſſeſſorio titulum a poſſeſſore probandum eſſe per ea, quæ tradit STRYCK. *Uſ. mod. ff. L. 2. t. 1. §. 27. & 28. ibique allegat.* MENOCHIVS: atque non ita pridem *d. 8. Jun. 1732.* ab Illuſtri Facultate Juridica Hallenſi pronunciatum ubi is, qui Præfecturæ Principis Jus detractus contradicebat, ad probationem tituli condemnabatur, utut quosdam actus poſſeſſorios pro ſe allegare poterat. Quam ſententiam, leuteratione interpoſitâ non obſtante, Ampliſſ. Facultas Juridica Erfordienſis Menſe Junii hoc Anno M DCC XXXIV. confirmare non dubitavit.

§. XIII.

Supereſt paucis videre, an Princeps ſive Regimen ejus a Magiſtratu municipali cauſas proceſſuales coram hoc pendentes ad partium inſtantiam ob protractam vel denegatam juſtitiam aliamque cauſam, qua læſum ſe quis putet, vel proprio motu avocare, & ad ſe trahere queat? Dubium movere poterat, quod, Magiſtratui municipali ſive allodialem ſive feudalem Juriſdictionem tribuamus, ea uſusfructus ſit, uſumfructuarium autem ab eo, qui proprietatem habet, per notiſſima jura impediri non poſſe. Quia vero, utrum feudali an allodiali Titulo Juriſdictio transferatur, ſalva ſemper & incolumis remanet ſuperioritas etiam in rebus pleno jure donatis PEREGRIN. *conſ. 16. n. 9.* GARSIAS *de Expenſ. cap. 12.* KNICHEN. *Encyclop. cap. 6. n. 27.* Præterea Dominus nunquam Juriſdi-

risdictione penitus se exuit, sed Superioritatem sibi reservasse censetur, & exercitium tantum permittit SCHILTER. *ad Struv.* 6. 18. 5. HORN. *Cap. LXI.* §. 9. *de Jur. Super. Territ. circa profana.* ZIEGLER. *de Jur. Majest. Lib.* 1. c. 29. §. 12. cujus verba sunt: *alter ad nutum & voluntatem concedentis habet, qui dum leges praescribit, dum causas, locum determinat, ubique potestatem a se dependere subinnuit, nec tam abdicasse se potestate ista, quam abstinere voluisse putandus est:* Deinde Princeps universalem Jurisdictionem, quam SCHRADERVS *de feudis p.* 10. Majestaticam appellat, habet vi superioritatis territorialis, singulis territorii partibus insidentem & cohaerentem COCCEJ. *in differt. de fund. in territ. pot. Tit.* 2. §. 1. vi cujus de personis ac rebus territorio complexis cognoscit, ideoque fundatam in omni Jurisdictione intentionem & militantem pro se juris praesumtionem habet. STEPHAN. *de Jurisdict. Lib. II. p.* 1. *c.* 7. *n.* 31. *seq.* ut, qui exemtum se dicat, illud probare necesse habeat; sequitur, Principem sive Regimen ejus causas coram Magistratu municipali pendentes omnino avocare & ad se trahere posse, salva huic concessa Jurisdictione in reliquis. Quae sententia uti experientia nititur, ita ex §. 9. *ad Tit.* 1. ORDINAT. PROCESS. ELECTORAL. RECOGNITAE parum obscure corroboratur.

§. XIV.

Arragant sibi quibusdam in locis Magistratus municipales in causis coram ipsis peractis, si in rem judicatam causa abiit, ut Executioni mandanda sit, potestatem dandi praecepta executiva, **binnen 14. Tagen bey Vermeidung der** Execution **zu bezahlen**, ideoque dispiciendum venit, utrum potestas haec Magistratui municipali competat, an non? Quae quaestio ut evidentior fiat, non alienum esse putamus, praemittere, quod secundum processum Saxonicum, si reo certum quoddam debitum sive quantum solvendum sit juxta §. 5. *ad Tit. XXXIX. ordinat. Process.* SAXON. ELECTOR. RECOGNITAE executionem praeceptum executivum praecedere, & reo in termino simul

 indi-

indicto vel ante non parente, liquidoque ex officio constituto, in dicto Termino vel primo aut sequenti die post executio ipsa peragi debeat. Hisce præmissis, Magistratui municipali potestatem præcepta executiva emittendi prorsus denegandam esse puto. 1) quod executio ad mixtum Imperium pertineat BERGER *Oecon. Jur. Lib. IV. Tit. 3. in pr.* quô Senatus municipalis, nisi concessionem specialem Principis docere queat, in regulâ non gaudet. Neque Jurisdictionem bassam Jus exequendi simul in regulâ complecti, pro certo teneo. Licet enim LAVTERB. *Comp. Jur. Lib. 1. Tit. 1.* hoc Jurisdictioni semper cohærere, & jure magistratus etiam municipalibus competere asserat, quibusdam suffultus legibus Romanis ab eodem citatis, Hæcce tamen ad statum Imperii nostri applicationem genuinam & congruentem nequaquam admittunt. Consequenter, cum privilegia contra regalia concessa strictissime sint interpretanda, hodie aliter statuendum, tantumque, præcipue quoad actus jurisdictionis excellentiores, uti executio, concessum esse puto, quantum specialiter concessum probari poterit. 2) Experientia teste & praxi Magistratus municipales regulariter non gaudent executione, ideoque præceptum executivum, quo executio in casum non factæ paritionis indicta, reo non parente, esset actus frustraneus, quem jura detestantur per vulgata, quum executionem comminatam peragere nequeant, sed rem judicatam Judici, jurisdictionem altam habenti, exequendam relinquere debeant. 3) *cit. §. 1. ordinat. Proc. Electoral. recognit. ad tit. XXXIX.* si sententia vires rei judicatæ obtinuit, statim requisitoriales ad exequendum dari, & tunc a Judice requisito præceptum executivum emitti jubetur, confer. B. GRIBNER *Princ. Process. Lib. 1. cap. 6. Sect. 4. de Execut. in not. lit. a.* nullo antecedente præcepto executivo Judicis executione destitui desiderato. Denique 4) cum præceptum executivum ad solvendum vel præstandum sine nullitatis vitio omitti a Judice requisito nequeat, celeritas processus moreretur,

im-

impensæque cum utriusque partis incommodo citra necessitatem & utilitatem augeri necesse esset.

§. XV.

Coronidis loco adjicimus, Magistratui municipali plerumque à principe relictum esse, ut ex senatoribus sui ordinis vel è civibus consules eligant & senatores à principe confirmandos, unde enascitur quæstio, an magistratus municipalis etiam habeat jus removendi senatores sui ordinis. Attribuit quidem ZAHN *in Ichnograph. municipali cap. XVI. §. 16.* & electionem & remotionem magistratui municipali vi Jurisdictionis; suam sententiam ex *leg. 2. ff. de orig. Jur.* eliciens, licet parum sibi constans, magistratus creationem majestaticum ac regale fuisse *cit. loc. §. 17.* ipse profiteatur. Sicuti vero magistratui municipali jura majestatica & regalia tribuisse ridiculum, quum ad principem solummodo vi superioritatis territorialis pertineant; Ita Principis arbitrio etiam relictum esse dicendum, velitne confirmare eos, quos sibi senatus elegit senatores, per ea, quæ tradit ZIEGLER de *Jur. Majest. Lib. 1. Cap. 29. §. 3. 4.* ideoque quos princeps post electionem confirmavit, nemo nisi princeps iterum officio exuere potest, quum nihil tam naturale sit, quam eodem genere quidve dissolvere, quo colligatum est *Leg. 35. ff. de R. J.* confer. ZIEGLER *cit. loc. §. 7.* Quæ cum ita sint, facile apparet, irrito quoque conatu fieri, si senatus civitatis municipalis Advocatum, officium suum indulgentia Principis exercentem, à praxi repellere vellet, quod forsan pœnam, obtentu ordinationis Processus per errorem & sine causæ justitia dictitatam eidem solvere negaret.

TANTUM.

ERRATA.

p. 5. lin. 1. superiorsam, leg. sive superiorem, ibid. lin. 14. Trebunos, leg. Tribunos, lin. 23. Roma, leg. Romæ, lin. penult. Magistratas, leg. Magistratus, p. 6, lin. 1. defectent, leg. examinent.

